

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historia Zaringo Badensis

Schöpflin, Johann Daniel

Carolsruhae, 1765

XC.

[urn:nbn:de:bsz:31-295118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-295118)

XC.

SENTENTIA AB ARBITRIS LATA, QUA BURCAR-
DO, MINISTRO DE KILCHHEIM, JUS PATRONA-
TUS IN ECCLESIAM DE MATRO AD-
JUDICATUR.

ANNO MCCXXIII.

Ex Tabulario S. Petri Basileæ.

Albertus de Chrohingin, Rudolphus de Winterfingin Decani & Magister Petrus de Rinveldin. Judices a venerabili Cunrado Dei gratia Constantiensi Episcopo delegati, universis Christi fidelibus in perpetuum. Causam, que vertebatur inter Cunradum Plebanum de Roetenleim, Hernfridum, Rudolfum, Wolpertum, Burchardum, Wernherum, Wernherum de Matro & Cunradum Parrochianos de *Merget* ex una parte. Albertum Subdiaconum & Burchardum Ministrum de Kilchheim ex altera, super Jure Patronatus & super Ecclesia de Matro a prememorato Episcopo suscepimus sine canonico terminandam. Partes igitur in nostra presentia constitute in nos Magistrum Hugonem Cantorem Basiliensem, Burchardum Plebanum de Bondorf & quosdam alios compromiserunt voluntarie, juramento hinc inde tam a laicis quam a cleri-

cis prestito, quod ratum haberent, quicquid per dictos arbitros super eodem negotio foret unanimiter ordinatum. Sane nos & coarbitri nostri veritate plenius indagata Jus Patronatus Ministro de Kilchheim, Ecclesiam Alberto clerico suo unanimi consensu adjudicavimus, ita tamen quod quandocunque aliquis clericus a jam dicto Ministro de Kilchheim vel suis successoribus ad Ecclesiam de Matro presentatus fuerit, debet ab Hermfrido suisque Coheredibus vel eorum successoribus peti, ut presentatus sibi placeat, eumque pro plebano Ecclesie de Matro recognoscant. Ceterum siue consenserint siue reclamaverint, nihilominus tamen presentatus a sepe memorato Ministro de Kilchheim omni contradictione cessante, si alias dignus fuerit, debet obtinere. Cunrado Plebano de Rœtenleim, qui in manus nostras jus quod habebat vel habere videbatur, in Ecclesia de Matro resignavit, super eadem perpetuum silentium imponentes. Actum in Ecclesia Matro anno ab Incarnatione Domini MCCXXIII. III. Nonas May. Testes Tiethelmus Prepositus, Henricus Scolasticus Basiliensis, Rudegerus Prepositus S. Albani. Bruna Decanus de Steina, Berhtoldus de Richem, Burchardus de Bischovingin, Baldoifus de Tannenchilcha, Wernherus de Wolpach, Gotefridus de Kilchheim, Petrus de Hadesfat, Burchardus de Terwilre, Johannes de Tornacho, Plebani, Arnoldus de Binceheim, Burchardus de Ufheim, Cuno frater pincerne, Cuno de Telisperch, Cunradus de foro frumenti, Hugo Plecha, Dietricus frater suus, Ludewicus de Bladolsheim, Cunradus Robere, *Johannes frater dapiferis, (a)* Fridericus de Mulnheim, Milites, Wernherus de Blanfingin, Algotus de Ramstein, Ulricus, Cunradus fratres de Kilchheim, Walterus villicus, Dietricus Cunradus, Arnoldus, Basilienses, Albertus, Cunradus, Henricus fra-

tres de Blatesheim & alii quamplures. In assertionem autem hujus rei presentem chartam conscribi fecimus sigillorum munimine roborantes.

NB. Sententiam hanc confirmavit Conradus Episcopus Constantiensis IV. non. Jun. 1223.

(a) In secundo Instrumento deest.



XCI.

ABBATISSÆ ANDLAVIENSIS CHARTA ENDINGÆ
DATA PRÆSENTE HENRICO MARCHIONE
HACHBERGÆ.

A N N O M C C X X I I I .

Ex Tabulario Abbatiae Thennebacensis.

In nomine Patris - - - Ego Hedewigis Dicta Abbatissa de Andila & ejusdem Ecclesie totum Capitulum - - - Notum fieri volumus universis - - - quod Waltherus miles de Nugirte: Cum esset ministerialis Ecclesie nostre de Andila omne predium suum quod habebat in villa *Endingen* tam vineas quam agros, prata, domos, areas & omnino quidquid habebat, super majus altare & in manus nostras, sicut moris est, cum Consensu & voluntate uxoris suæ Gutæ & filii sui Hu-